





CAPITA · RESCRIPTI · D · N · LEOPOLDI · II · AVG ·

DECVRIONES · MORE · MAIORVM · P · P
MED · CVR · PRAESVNTO · SEXS · SVNTO
EX · PATRICIORVM · NVMERO
ADSCISCVNTOR · OLLIS · QVOTIENS
VISVM · FVAT · CONVENIENDI · ORDINEMQVE
SVPPLENDI · IVS · ESTO
PRIVILEGIA · CONLEGII · ICC · NOBB · RATA
SVNTO · EX · HOC · PRAEFECTVS
VRBIS · ELIGITOR · QVI · ITEM
PRISTINO · NOMINE · PRISTINIS
INSIGNIBVS · VTITOR
PRAEFECTO · VRBIS · ADSESSORES
ADSVNTO · A · DECVRR · CREANTOR
VIARVM · ANNONAE · VALETVDINIS
PECVNIAEQVE · PVBLICAE · CVRAM
AGVNTO · IVS · DE · HIS · OMNIBVS · DICVNTO
LEGATI · SINGVLARVM · CIVITATVM
MEDIOLANI · MORANTOR · ADSESSORVM
NOMINE · EX · QVOIS · ET · ADSESSORIBVS
MED · SVB · R · V · CONCILIVM
CONVENTVS · INSVBR · ESTO · HIS
INCONSVETIS · DE · STATO · R · P · ORDINE
NE · QVID · IMMVTATOR · IIDEM
SVPER · PRISTINA · MVNERA · ET
DECORA · STATIVORVM · ETIAM · ET
COMMEATVVM · MILITARIVM · CVRAM
CAPIVNTO · ITEM · LEGATVM · AD · RES
PROV · APVD · CAESAREM · GERVNDAS
BIENNALEM · ELIGVNTO · ET · SI · RES
TVLERIT · ARBITRIO · REVOCANTO

PROVINCIALIA · EMERITOS · STIPENDIA
ADSESSORES · PROVINCIALES
MVNICIPALIA · MVNICIPALES · IVDICIO
SVO · REMVNERANTO
AD · PRAESCRIPTVM · LEGVM · CENSVALIVM
REGII · CENSVS · CVRATORES · SE · GERVNTO
A · COMMVNI · SVVS · QVISQVE · CENSVALIS
ELIGITOR
LEGES · IVDICIARIAE · ITEM · DE
VECTIGALIBVS · REGIIS · PARTIVNDIS
EXIGVNDIS · REFORMANTOR · MVLTA · IN
ABSENTES · DICTA · REMITTITOR
SACERDOTIORVM · ALIORVMQVE · ID · GENVS
BONORVM · VACANTIVM · RATIONES
EDVNTOR · IN · VVLGVS · EORVM
REDITVS · IN · PIOS · VSVS · EROGANTOR
ITEM · TRIBVTA · EX · PRAEDIIS · OLIM
IMMVNIBVS · IN · LEVAMEN · ONERVM
COMMVNIVM · CEDVNTO
SACERDOTIORVM · PATRONATVM · IVRE · QVO
QVISQVE · OPTIMO · HABESSIT · RETINETO
DOMVS · EGENIS · MARIBVS · FEMINIS · RECIPIVNDIS
ALENDIS · EDVCANDIS · MEDENDIS
DOTANDIS · SVBLEVANDIS · QVOTQVOT
SINT · PIETATE · MAIORVM · INSTITVTAE
EARVM · CVRATIO · PENES · CIVES · ESTO
SCHOLAE · IVRIS · MVNICIPALIS · IN
LYCEO · BRAIDENSI · ITEM · CHIRVRGIAE
ET · ARTIS · ANATOMICAE · IN · VALETVDINARIO
INTERCLVSAE · APERIVNTOR



DECVRIONES
AMBROSIO · CAESARIS · F · CAVANAGO
QVI · ET · RADANASCVS · COMITI · V · C ·
MAGISTRO · ADMISSIONVM · AVG · HONORARIO
PLVRIBVS · MVNICIPALIBVS · MAGISTRATIBVS
CVRATIONIBVSQVE · IN · EXEMPLVM · PERFVNCTO
QVOD
IN · CONCILIO · CONVENTVS · INSVBR ·
ANNO · MDCCLXXXX · MEDIOLANI · ACTO
CVIVS · SVCCESSV · INSTAVRATAM
TOTA · SE · PROVINCIA · LAETATA · EST
STVDIO · CONSILIO · ADSIDVITATE
MAGNO · VSVI · R · P · FVERIT
HONORIS · CAVSSA
IVS · INSIGNIA · CIVITATIS
GENTILITIIS · INSERENDI
ET · INSCRIPTIONEM · DECREVERVNT

IMPER · CAESARI
FRANCISCI · ET · M · THERESIAE · AVGG · F ·
LEOPOLDO · PIO · FELICI · AVGVSTO
QVOD
SVFFRAGANTE · FERDINANDO · FRATRE
PRAESIDE · ET · PATRONO
INSVBRIVM · INDVLGENTISSIMO
PRISTINA · ORDINI · PRIVILEGIA
ADSERVERIT · NOVA · CONTVLERIT
DECVRIONES · MED ·
ANNO · M · DCC · LXXXXI ·
VINDICI · DIGNITATIS
LIBERTATISQVE · PVBLICAE

DECVRIONES
ANTONIO · ALBERTI · F · VICECOMITI
QVI · ET · AIMVS · MARCHIONI · V · C ·
E · PROCERIBVS · HISPANIS · PRIMI · ORDINIS
MAGISTRO · ADMISSIONVM · AVG · HONORARIO
QVO · LEGATIONEM · PATRIAE · DIFFICILLIMAM
DEQVE · MAXIMIS · REBVS
SVMMA · FIDEI · ET · PRVDENTIAE · LAVDE
AD · IMPER · CAESAREM · OBEVNTE
RESCRIPTVM · TVLERE · AB · OPT · PRINCIPE
TOTI · PROV · SINGVLIS · MVNICIPIIS
HVIC · PRAESERTIM · ORDINI
SALVTARE · HONORIFICENTISS ·
HONORIS · CAVSSA
IVS · INSIGNIA · CIVITATIS
GENTILITIIS · INSERENDI
ET · INSCRIPTIONEM · DECREVERVNT

C. Ios. Franchi in marm. effinxit — *Iac. Frey del. et inc. A. 1792*

DE
MARMOREO MONVMENTO
QVOD HONORI
IMP · CAESARIS
LEOPOLDI II· AVG·
A LX · DECVRIONIBVS MED ·
DECRETVM EST
XI · KAL · MARTIAS AN · MDCCLXXXXI ·
ET IN EORVM CVRIA DEDICATVM
PRID · NON · IVN · AN · MDCCLXXXXII ·
COMMENTARIVS



MEDIOLANI
EX OFFICINA MARELLIANA
Permissu Praesidum

AN . CIƆIƆCCLXXXXII .

FRANCISCO NICOLAI F·

NAVAE

V · C·

EX COLLEGIO ICC · NOBB ·

PRAEFECTO VRBIS

A PROV · INSVBRIA RESTITVTA

PRIMO

ET SPLENDIDISSIMO

DECVRIONVM ORDINI VNIVERSO

QVORVM NOMINA INFRA SCRIPTA SVNT

FRANCISCVS FONTANA

E CONGREGATIONE S · PAVLLI

FELICITATEM

a 2



FRANCISCO • LEOPOLDI • AVG • F • FRANCISCI • AVG • N •

IMPERATORE • AVGVSTO • AN • Ī •

NOMINA

DECVRIONVM • MEDIOLANENSIVM

EX • ALBO • DESCRIPTA • A • D • V̄ • NON • OCT •

ALOISIVS • IOAN • BAPTISTAE • F • TROTTUS
COMES • A • SANCTIORIBVS • CONSILIIS • ET • AB ADMISSIONIBVS • AVG • MAGISTER • RVSTICANAE • MILITIAE ADSISTENS • NOMINE • REGIO • CIVICIS • CONVENTIBVS

LAVRENTIVS • IOAN • DIDACI • F • SALAZARIVS
COMES • AB • ADMISSIONIBVS • AVG • CAMPIDOCTOR • VRBANAE MILITIAE • AD • PORTAM • ROMANAM

THEODORVS • GEORGIVS • ALEXANDRI • F • TRIVVLTIVS
MARCHIO • AB • ADMISSIONIBVS • AVG •

ALBERICVS • ANTONI • F • ATESTIVS
S • R • I • PRINCEPS • DE • BELGIOIOSIO • AVREI • VELLERIS EQVES • TORQVATVS • A • SANCTIORIBVS • CONSILIIS • ET AB • ADMISSIONIBVS • AVG • MILITIAE • DVX • MAIOR PROPRAEFECTVS • ET • DVCTOR • COHORTIS • PRAET • RVSSATAE GERMANICAE • APVD • FERDINANDVM • ARCH • AVSTR •

ALOISIVS • GASPARIS • F • ARRIGONIVS • CASATVS
COMES

VITALIANVS • GASPARIS • F • BILIVS
COMES • AB • ADMISSIONIBVS • AVG • CAMPIDOCTOR • VRBANAE MILITIAE • AD • PORTAM • NOVAM

IO • PETRVS • KAROLI • F • ANNONVS
COMES • AB • ADMISSIONIBVS • AVG •

IOSEPHVS • KAROLI • F • RESTA
COMES • AB • ADMISSIONIBVS • AVG •

NICOLAVS • PHILIPPI • F • VICECOMES
COMES • E • COLL • ICC • NOBB • AB • ADMISSIONIBVS • AVG PRAEFECTVS • REGIVS • TABVLARII • PVBLICI

AMBROSIVS · CAESARIS · F · CAVANAGVS · RADANASCVS
COMES · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·
BENIGNVS · GALEATI · F · BOSSIVS
MARCHIO · E · COLL · ICC · NOBB · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·
SFORZA · ALOISI · CAIETANI · F · BRIVIVS
MARCHIO
ROBERTVS · IOAN · PETRI · F · ORRIGONIVS
MARCHIO · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·
IACOBVS · IOAN · BAPTISTAE · F · DVRINVS
COMES · A · SANCTIORIBVS · CONSILIIS · AVG ·
IOANNES · GALEATIVS · GABRI · F · SERBELLONIVS
DVX · E · PROCERIBVS · HISPANIENSIBVS · AB · ADMISSIONIBVS AVG · MAGISTER · VRBANAE · MILITIAE · TRIVMVIR ORDINIBVS · CONSERVANDIS
PETRVS · GABRIELIS · F · VERRIVS
COMES · A · SANCTIORIBVS · CONSILIIS · ET . AB ADMISSIONIBVS · AVG ·
KAROLVS · FRANCISCVS · HERMETIS · F · VICECOMES
MARCHIO
IOSEPHVS · DIDACI · F · RVITZIVS · DE · ARACIEL
MARCHIO · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·
AEGIDIVS · GREGORIVS · IVLI · F . VRSINVS · DE · ROMA
MARCHIO · E · COLL · ICC · NOBB · A · SANCTIORIBVS · CONSILIIS ET · AB · ADMISSIONIBVS · AVG · PRAEPOSITVS · CVBICVLI RICCIARDAE · M · BEATRICIS · ATESTINAE · ARCH · AVSTR ·
GALEATIVS · CAIETANI · F · VICECOMES
COMES · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·
IOSEPHVS · MAXIMILIANVS · IOAN · MAXIMILIANI · F · STAMPA
MARCHIO · SONCINI · E · PROCERIBVS · HISPANIENSIBVS AB · ADMISSIONIBVS · AVG · CAMPIDOCTOR · VRBANAE MILITIAE · AD · PORTAM · TICINENSEM · TRIVMVIR ORDINIBVS · CONSERVANDIS
BENEDICTVS · MARCI · F · ARESIVS · LVCINVS
COMES · E · COLLEGIO · ICC · NOBB · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·
TIBERIVS · AENEAE · F · CRIBELLVS
MARCHIO · AB · ADMISSIONIBVS · AVG · CAMPIDOCTOR VRBANAE · MILITIAE · AD · PORTAM · COMENSEM
ALEXANDER · ANTONI · F · SORMANIVS
AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·

IOAN · ANTONIVS · KAROLI · ANDREAE · F · PARRAVICINVS
MARCHIO

FERDINANDVS · HIERONYMI · F · CVSANVS
MARCHIO · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·

FRANCISCVS · GALEOTTI · F · BARBIANIVS · BELGIOIOSIVS
COMES

ANTONIVS · ALBERTI · F · VICECOMES · AIMVS
MARCHIO · E · PROCERIBVS · HISPANIENSIBVS · AB ADMISSIONIBVS · AVG ·

GEORGIVS · FABI · F · DVGNANVS · CORIVS
COMES · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·

ANTONIVS ALOISI · F · HERBA · ODESCALCHIVS
MARCHIO · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·

PETRVS · FRANCISCVS · IO · ANTONI · F · VICECOMES · BORROMAEVS
COMES · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·

ABVNDIVS · ALEXANDRI · F · A · TVRRE · REZZONICI
COMES · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·

IO · GIBERTVS · RENATI · F · BORROMAEVS · ARESIVS
COMES · E · PROCERIBVS · HISPANIENSIBVS · AB ADMISSIONIBVS · AVG ·

FRANCISCVS · GASPARIS · F · MELTIVS
COMES · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·

KAROLVS · GALEATI · F · ARCONATVS VICECOMES
MARCHIO · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·

ANGELVS · GEORGI · F · SERPONTVS
COMES · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·

KAROLVS · HIERONYMI · F · PATELANVS
COMES

CONSTANTIVS · LAVRENTI · F · TABERNA · LONATVS · VICECOMES
COMES · AB · ADMISSIONIBVS · AVG · TRIVMVIR ORDINIBVS · CONSERVANDIS

FIRMINVS · RODVLPHI · F · RASINVS
COMES

ALPHONSVS · OCTAVI · F · CASTILIONAEVS
COMES · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·

KAROLVS · FRANCISCI · F · LITTA
COMES

IVLIVS · KAROLI · F · DVGNANVS
AB · ADMISSONIBIVS · AVG ·

IOSEPHVS · OCTAVI · F · ROVIDA
COMES · AB · ADMISSIONIBVS · AVG · DVCTOR · ORDINVM MAIOR · VRBANAE · MILITIAE

LVDOVICVS · GALEATIVS · KAROLI · F · BVSCA · ARCONATVS · VICECOMES
MARCHIO · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·

APOLLONIVS · IOSEPHI · F · CASATVS
MARCHIO

ANTONIVS · POMPEI · F · LITTA
MARCHIO · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·

ANTONIVS · FRANCISCI · F · BESVTIVS
COMES

VITALIANVS · EVGENI · F · CONFALONERIVS
COMES · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·

LEONARDVS · IVLI · F · CALDERARIVS
COMES · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·

IOAN · MARIVS · PETRI · PAVLLI · F · ANDREANVS
COMES · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·

CONSTANTIVS · IO · BAPTISTAE · F · GALLARATIVS · SCOTTVS
AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·

FRANCISCVS · ALOISI · F · GALLINA

IO · IACOBVS · INNOCENTI · F · ATTENDVLVS · BOLOGNINVS
COMES · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·

FELIX · PAVLLI · CAMILLI · F · AB · ABDVA
MARCHIO · E · COLLEGIO · ICC. · NOBB. · AB ADMISSIONIBVS · AVG ·

KAROLVS · PHILIPPI · F · ARCHINTVS
COMES

ANTONIVS · LVDOVICI · F · VITALIS

FRANCISCVS · LVCAE · F · PERTVSATVS
COMES · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·

PIVS · CAIETANI · F · PALLAVICINVS · TRIVVLTIVS
MARCHIO · REGIONIS · PALLAVICINAE · AB · ADMISSIONIBVS · AVG ·

KAROLVS · IOANNIS · F · FRISIANVS

IOSEPHVS · FRANCISCI · F · ORRIGONIVS
MARCHIO


ILLVSTRISSIMI
ATQVE
EXCELLENTISSIMI
VIRI



ERIVS, QVAM FORTASSE EXPECTABATIS, MONVMENTVM ABSOLVTVM, DEDICATVMQVE FVIT, QVOD LEOPOLDO AVG. DECREVISTIS IN RECORDATIONEM EIVS ERGA ORDINEM VESTRVM MERITORVM SEMPITERNAM. ID TAMEN NEMINI MIRVM VIDERI DEBET, QVI EXPERTVS NOVERIT, QVAM NON SINT OBVIA POLITISSIMA, ET CANDIDISSIMA NON EXIGVAE MOLIS MARMORA, QVAM NON EXPEDITAE A LVNENSIVM LAPICIDINIS MEDIOLANVM VSQVE SVBVECTIONES, QVAM DENIQVE MOROSA ESSE SOLEAT, VT PLINII VERBIS VTAR, FINGENDI, CAELANDIQVE SVBTILITAS. NEC VERO NECESSE EST HOMINIBVS SAPIENTISSIMIS, LONGAQVE EXPERIENTIA EDOCTIS, COMMVNEM ETIAM RERVM HVMANARVM CONDITIONEM COMMEMORARE. QVIS ENIM IGNORAT PLVRA NECOPINATO CONTINGERE, QVAE VEL DILIGENTISSIMOS NON SINVNT COGITATA AD AMVSSIM PERFICERE? QVARE AEQVITATE, AC BENIGNITATE VESTRA FRETVS, QVAE FAMILIARVM, EX QVIBVS ORTI ESTIS, AMPLITVDINE, AC SPLENDORE NIHILO EST INFERIOR, NON DVBITO, QVIN MORAM HANC QVALEMCVMQVE AEQVI BONIQVE FECERITIS. QVAMQVAM, VT DICAM QVOD SENTIO, NIHIL FVISSET TANTI ID OPERIS FESTINASSE; SI QVIDEM EA MONVMENTI CVIVSQVE

RATIO EST, QVAM EX IPSO NOMINE INTERPRETATVR TVLLIVS, VT AD MEMORIAM MAGIS SPECTARE DEBEAT POSTERITATIS, QVAM AD PRAESENTIS TEMPORIS GRATIAM. QVOD VERO AD REI PERFECTIONEM PERTINET, HANC VOBIS, QVA ESTIS HVMANITATE, IVDICIIQVE ELEGANTIA, NON MINVS PROBATAM ESSE CONFIDO. NAMQVE, SENTENTIA QVIDEM MEA, TAM CONCINNA EST TOTIVS OPERIS DESIGNATIO, TAM AFFABRE IMAGO VVLTVS EXPRESSA, TAM VENVSTA SCRIPTVRA INSCRIPTIONVM, ATQVE DILIGENS, VT SINGVLA AD VETERVM ID GENVS OPERVM LAVDEM ACCEDERE PROPEMODVM VIDEANTVR. DE IPSIS AVTEM INSCRIPTIONIBVS NON EST VERECVNDIAE MEAE QVIDQVAM LOQVI. EQVIDEM ET TENVITATE INGENII MEI DIFFISVS, NEQVE DIFFICVLTATIS LONGE MAXIMAE IGNARVS HVIVSMODI ARTIFICII, SCIO, ET VLTRO FATEOR PROCVL ME A ROMANA ILLA ELEGANTIA, AC MAGNILOQVENTIA ABFVISSE. ILLVD TAMEN, QVOD VNICE PRAESTARE IPSE POTERAM, ET SANE PRAESTITI, NIHIL PROHIBET QVOMINVS PROFITEAR, ME AD PRISCAS LEGES EXIGERE EAS SVMMO STVDIO, AVT SVMMA POTIVS RELIGIONE CONATVM ESSE, NEQVE EDIDISSE PRIVS, QVAM ERVDITISSIMORVM HOMINVM CENSVRAE, IVDICIOQVE SVBIECERIM, ET PLANE PROBAVERIM. SED DE HIS HACTENVS. ECCE NVNC VOBIS SE SISTVNT EIVSDEM MONVMENTI TVM HISTORIA BREVI COMMENTARIO DESCRIPTA, TVM ETIAM FORMA AERE ACCVRATISSIME INCISA, ET SVB PRAELO IN CHARTAS EO CONSILIO RELATA, VT RES PVBLICA FIERET QVOD VOS REIPVBLICAE CAVSSA FACIENDVM CVRASTIS. HAEC IGITVR HILARI, AC BENIGNO VVLTV VT EXCIPIATIS, MEQVE IN PRIMIS, CVI SENSA VESTRA PVBLICE EXPRIMENDI NON SEMEL HONOR CONTIGIT, TVERI, AC FAVORE VESTRO PROSEQVI VELITIS, ETIAM ATQVE ETIAM ROGO. VALETE, VIRI ILLVSTRISSIMI, ATQVE EXCELLENTISSIMI, AC CIVITATIS MEDIOLANENSIS BONO, IN QVA SVMMVM OBTINETIS GRADVM ET DIGNITATIS, ET GRATIAE, VOSMET FELICES, ATQVE INCOLVMES QVAM DIVTISSIME SERVATE.

IN CAESAREO NOBILIVM COLLEGIO III. NON. SEXTILES AN. MDCCXCII.



COMMENTARIVS.

I.  Vivis sublato Imperatore Josepho Augusto, qui in maximis suscipiendis, gerendisque rebus meliori usus fuerat animo, quam fortuna, Leopoldus frater quum successisset, Princeps vel ab ineunte aetate regnandi prudens, amplissimum eximiae hujus prudentiae campum nactus, nihil potius, nihil antiquius habere visus est, quam moderatione hostes, indulgentia populos, benignitate omnes demereri. Et quanta quidem moderatione, vel liberalitate potius, externa bella composuerit, proferendorum finium cupiditate militum sanguini, Provinciarum quieti, commerciorum securitati, reique publicae universae bono posthabita; quanta dexteritate amicitiam & foedera cum Regibus potentissimis renovaverit, icerit, firmaverit; quam denique unanimi IX. Virûm suffragio, ac totius Germaniae plausu Imperatorium nomen obtinuerit, quanto concursu, & celebrit diadema acceperit; haec omnia publicis, & interituris nunquam notiora sunt annalium monumentis, quam ut narrari, atque explicari oratione nostra indigeant. Neque compertum est minus mortalibus omnibus, quemadmodum ipse

Imperatoris Nervae, Optimi Principis, aemulatus exemplum, obviam populis indulgentiam suam miserit, ſingulorum querimonias exceperit, postulatis obsecundarit, malis denique, quoad ejus fieri poterat, mature occurrerit, quae fuerant alia aliis difficultate superiorum temporum importata. Quibus rebus non minorem aequitatis, ac clementiae, quam providentiae, sapientiaeque laudem tulit. Quippe docuit, ſibique persuasum esse ostendit, sapientis esse Legislatoris non tam instituta pulcherrima, atque optima excogitare, quam ea accommodare ad uniuscujusque Regni, & Civitatis genus, commodorum, atque incommodorum tanquam subducto calculo; itaque videre, quid temporum, quid locorum indoles, quid hominum mores, & vero etiam opiniones aut recusent, aut efflagitent. Hac prudentissima inita imperandi ratione, pace domi forisque parta, juris aequitate asserta, publica dignitate restituta, nae ipse quoque, ut olim Nerva, brevi gratulari sibimet poterat, quod se fortuna Imperii meliore vultu respexerat.

II. Jam vero ut perpetua fide, amore, studio in Domum Augustam nulli Provinciarum Austriacarum concedit Insubria, sic nihil habet profecto, quod facilitatem, liberalitatemque Leopoldi cuiquam invideat. Nam & diutius fortasse, & libentius, quam ceteras, praesentia eam sua nobilitavit, perlustravitque; talem se nobis visendum praebens, qualem Trajanum, vivis adeo coloribus a Plinio expressum, legentes, admirantesque intuemur. Vidimus maximum, ac potentissimum Principem, omni apparatu remoto, inter cives tamquam parentem inter liberos versari suos, & circumfusum plaudente populo, non minaci stipatorum cohorte obseptum, securum majestatis, incedere. Vidimus ab omnibus adiri facile, praebere vel infimis aures patientissimas, quemque comi alloquio dignari, aut leniter appellare etiam; itaque magnam diei partem inter tot imperii curas, quasi per otium, saepe transigere. Vidimus magis salutis publicae, quam suae, studiosum ita diu noctuque ordinandis rebus vacare, ita alia ex aliis ne-

gotia excipere, ut vel somni parcissimus labore refici, ac recreari videretur. Quae quidem omnia jucundissima nobis, non tamen nova, neque admirabilia acciderunt. Nihil enim non expectare a Leopoldo fas erat, postquam huc Rescriptum illud suum, XIII. Kal. Febr. datum anno MDCCLXXXXI. praemiserat, indicem prolixae suae erga nos voluntatis, sponsorem perpetuae indulgentiae, testem clementiae sempiternum. Quod quid aliud visum est omnibus, nisi quoddam veluti signum nobis sublatum ad bene de omni republica sperandum?

III. Hujus Rescripti Civitati Mediolanensium, singulis Insubriae Municipiis, cunctae Provinciae ſalutaris, non modo monumentum marmoreum extare, sed historiam etiam describi, & in vulgus efferri visum est expedire; non tam ut indulgentissimi Principis, quam ut grati Ordinis fama latius ad exteros homines dimanet, memoria ad posteros propagetur. Id eo etiam valet, ut egregia illorum civium in patriam promerita nulla obruere vetustas possit, qui difficillimis, & gravissimis rebus expediendis, procurandisque magno usui fuerunt; atque ut adolescentes ingenui, ac nobili praesertim loco nati, honorem, & publicam gloriam, quae, tamquam umbra corpus, benefacta, resque praeclare gestas nunquam fere non sequitur, proponentes sibi, desidiam & vecordiam labori, ac studio posthabeant, & ad eam reipublicae partem, quae Principis beneficentia restituta est civibus, capessendam, administrandamque naviter excitentur; id scilicet cogitantes, quod ad omnes quidem homines, sed in primis ad nobilissimos quosque pertinet, a Platone praeclare dictum, non nobis solum nos esse natos, sed magnam ortus nostri partem sibi a patria vindicari.

IV. Vix igitur Austriacarum rerum potitus Leopoldus, quum nonnulla in Insubria facta esse comperisset, quae irrita fieri, nonnulla ſublata, quae redintegrari oporteret, non est dedignatus, in tanto imperio, partem aliquam derivare in eam curae, ac cogitationis suae. Quin

etiam e potioribus curis, quae sollicitum eum haberent, hanc unam, neque postremam, esse declaravit, ut nostrae felicitati publicae, & privatae, quatenus fieri poterat, prospiceret. Itaque litteris ad FERDINANDUM fratrem, Archiducem Austriacum, Praesidem Provinciae providentissimum datis pridie Nonas Majas an. MDCCLXXXX. jussit Concilium Mediolani extra ordinem haberi, quo bini ex splendidissimo cujusque Municipii Ordine legarentur, ut quicquid tum universae Provinciae, tum singularum Civitatum rationibus expedire videretur, inter se disceptarent, cognoscerent, & describendum, atque per duos tresve Legatos, Vindobonam missos, ad se referendum curarent. Quippe in animo habebat non modo Concilium Conventus Insubrium ordinarium, ac perpetuum, quod aliquot annis ante sublatum fuerat, restituere; qua de re supplicem ei libellum jam miserat Civitas Mediolanensis vota reliquarum Civitatum antevertens; verum etiam indulgere, ac constituere quaecumque vel aequitatis ratio, vel utilitas publica, vel populorum commoda efflagitarent.

V. Spe tam magna universis injecta, non dici potest, quanta alacritate, quantoque ardore jussis Caesaris gestus est mos. Itaque Kalendis Juniis coactum est Concilium, Juliis dimissum. Huic praefuit nomine Regio Aloisius Trottus Comes a penitioribus Consiliis Augusti, & Praefectus Municipii, ut tum appellabant, Mediolanensis; interfuere autem, nomine Civitatis Insubrium principis, Ambrosius Cavanagus Comes, & Antonius Vicecomes Aimus Marchio. E Provincialibus vero convenere Ticino Josephus Pasqualius, & Alexander Botta Adurnus Marchio; Cremona Alexander Schinchinellius Comes, & Alexander Cautius; Laude Pompeja Aemilius Somariva Marchio, & Antonius Zumalius; Como Georgius Porrus Carcanus Marchio, & Joan. Baptista Giovius Comes, & Eques; Casali Majore Leopoldus Molossus, & Joannes Vincenza Ponzonius; omnes patricia municipii sui nobilitate. Ab actis erat Josephus Perabous, cujus opera in tali munere propter & fa-

cultatem scribendi, & rerum publicarum peritiam, jamdiu utebatur Civitas Mediolanensis. Eum, qui optimus optari poterat, successum habuit Concilium; usque adeo verum est nihil esse Reipublicae salubrius Procerum concordia, quae in eo maxima nimirum fuit. Nam mutuis singularum Civitatum inter se querelis, si quae forte erant, aut dissimulatis, aut in aliud tempus dilatis, unum omnes spectare, unum studere visi sunt, commune totius Provinciae bonum. Quam rem, utpote singularem, dignamque, quae posteris in exemplum proderetur, & notavit in Rescripto suo, & laudavit Caesar; qui praeterea & considerate admodum, & summa tum fide, tum aequitate omnia in eo constituta fuisse, non sine voluptatis sensu, se ex Actis, scite conscriptis, deprehendisse testatus est. Quo quidem prudentissimi Principis judicio, sive potius praeconio, ut nihil verius, sic nihil luculentius, nihil honorificentius Sociali huic Concilio excogitari profecto potest.

VI. Explicatis igitur, descriptisque postulatis, quae ad Augustum referenda essent, Legati, qui referrent, electi fuere tres, Antonius Vicecomes Aimus Marchio, Alexander Botta Adurnus Marchio, & Alexander Cautius; iisque Josephus Perabous adjutor ab actis datus fuit. Hi Vindobonam profecti, non opus est dicere, quanta a Caesare fuerint benignitate excepti, quamque faciles ad eum aditus semper habuerint. Delegati autem fuere, quibuscum ipsi agerent, nonnulli Aulae Administri pro rebus Italiae, praesidente Ferdinando filio, Magno Duce Etruriae designato, qui jam inde a teneris annis quantus princeps evasurus esset ostenderat, mox adepto vix dum principatu docuit, verissime a Tullio dictum esse ab excellenti, eximiaque virtute progressum aetatis expectari non oportere. Rebus diligenter, & diu perpensis in utramque partem, eo ventum est tandem, ut aequissima esse Provinciae postulata agnoverit Leopoldus, & pronunciaverit. Itaque quod pollicitus fuerat, fecit. Namque amplissimo Diplomate pristina ei restituit privilegia, novorum etiam accessione cumulata;

duobus tantum capitibus exceptis, ad reformandam scilicet judiciorum exercendorum, & vectigalium exigendorum rationem pertinentibus; quae quidem non repudianda esse duxit, sed quo graviora erant, & difficiliora explicatu, eo diligentiori cognitioni reservavit.

VII. Exoptatissimus indulgentiae Augusti nuncius, summis omnium ordinum gratulationibus, Mediolanum tandem pervenit. Sed LX. Viri potissimum, quorum Ordo non modo in pristinum statum restitutus, sed novis etiam privilegiis auctus fuerat, ita affecti sunt, ut non satis pro magnitudine meritorum, pro dignitate Ordinis, pro amplitudine Urbis, pro majestate Principis suam se expromere laetitiam posse existimaverint, nisi, qui magnificentissimus semper est habitus, & maxime Imperatorius, honorem ei detulissent. Itaque statuam equestrem aeneam in eo, qui FERDINANDO Archiduci, Praesidi Provinciae, ac Patrono suo videretur, celeberrimo urbis loco, ejus honori locandam, dicandamque decreverunt cum basi, in qua insignia ejus beneficia in se, & in Commune Insubriae collata inscriberentur. Erat autem Inſcriptio in promptu hujusmodi

IMP · CAESARI · FRANCISCI · AVG · F ·
KAROLI · AVG · NEP ·
LEOPOLDO · PIO · FELICI · AVGVSTO
QVOD
VNIVERSAE · PROVINCIAE
ET
SINGVLARVM · CIVITATVM
VOTIS · OCCVRRERIT · ADNVERIT
CONCILIO · CONVENTVS · INSVBR · RESTITVTO
LIBERTATE · MVNICIPIIS · ADSERTA ·
PRISTINIS · IVRIBVS
CVRATIONIBVS · ORNAMENTIS
REDINTEGRATIS · AVT · AMPLIATIS
ANNO · IMPERII · PRIMO
ORDO · POPVLVSQVE · MEDIOLANENSIS
CONSTITVTORI · REI · PVBLICAE
AVCTORI · FELICITATIS · PERPETVAE

Sed enim expectandus erat Caesar, ut hujus sibi monumenti statuendi veniam tribueret. Interim quo religionem suam in bonorum omnium auctorem, ac parentem Deum, & pietatem in Principem optime meritum testarentur publice, Civitas sacrificium solemne, cui frequentissima interfuit, in S. Ambrosii faciendum curavit, hoc affixo in templi fronte titulo, qui & gaudia, & vota publica significabat:

SACRO · PVBLICO · SOLEMNI
LAETI · FREQVENTES · ADESTE · CIVES
VNVM · OMNIVM · VOTVM · ESTO
SALVS · PRINCIPIS
ET · DOMVS · AVGVSTAE

VIII. Statim atque Rescriptum Caesaris huc delatum, editumque fuit, exequi illud summo studio festinavit idem FERDINANDUS Archidux, Praeses Provinciae, cujus suffragio, & favore fuerat impetratum. In primisque Legatos, Adsessorum nomine, Civitas quaeque suos ad Concilium Conventus Insubr. instaurandum elegit, lectissimos viros, reique publicae amantissimos. Hi quamvis ejusdem nominis, & juris, non unius tamen sunt Ordinis. Primi Ordinis Adsessores Mediolanenses duo esse debent: iique sunt Ambrosius Cavanagus Comes, & Nicolaus Vicecomes Comes; Provincialium autem Civitatum singularum singuli sunt, nempe Ticini Josephus Pasqualius, Cremonae Alexander Schinchinellius Comes, Laudis Pompejae Aemilius Somariva Marchio, Comi Josephus Rovellius Marchio, Casalis Majoris Josephus Balthassar Molossus, omnes patricii generis. Secundi Ordinis Adsessores dicti fuere, a Mediolanensibus Stephanus Marinonius, a Ticinensibus Antonius Rex, cui mox Vindobonam arcessito, & inter Consiliarios Regios pro rebus Italiae, atque inter patriae Decuriones adscito, successit Philippus Polinius; a Cremonensibus Venceslaus Cavallettus; a Laudensibus Felix Astorus; a Comensibus denique (nam Casale Majus

unico Adsessore gaudet) Antonius Pertius; omnes Juris Consulti. Caetus hujusce amplissimi praeses idem est, ac Praefectus Urbis Mediolani. Quem splendidissimum juxta, atque laboriosissimum magistratum summa prudentiae, assiduitatis, integritatis laude gerit, geretque quadriennium Franciscus Nava ex Jcc. Nobilium Collegio. Et quoniam eos, a quibus Concilium Insubriae instauratum est, honoris caussa commemoravimus; non videtur debere praeteriri, quem primum omnium Vindobonam legatum miserunt ad negotia Provinciae apud Caesarem procuranda, Alphonsus Castilionaeus Comes, vir praeclaris ingenii, animique dotibus praeditus, qui unus e Quinqueviris fuit Reipublicae ad normam Rescripti Constituendae sub FERDINANDO Austr.

IX. Ut primum Adsessores convenere, quod accidit Pridie Idus Martias anni MDCCXCI., verba fecerunt statim de gratiis Augusto, Restitutori suo, agendis quam amplissimis. Deinde Civitatis Mediolanensium Religionem, pietatemque aemulati, Sacro solemni, quod eorum jussu factum est in Aede Mariana ad S. Celsum, publice interfuerunt omnes; ante vestibulum inscriptione apposita, quae potissimum indicaret, a Divino Numine propitiando, & ope imploranda Patronae Caelestis Domus Austriacae, & Civitatis, se magistratum auspicari:

SPIRITVI · DEO · SANCTO · AETERNO
SACRVM · SOLEMNE
ET · VOTA · PVBLICA
AD · ARAM · MAGNAE · DEI · MATRIS
PRO · INCOLVMITATE · CAESARIS · N ·
TOTIVSQVE · DOMVS · EIVS
PROQVE · STATV · CONVENTVS · INSVBR ·
RESTITVTI · ET · AVCTI ·
INDVLGENTIA · OPTIMI · PRINCIPIS

Iidem, ut honore aliquo augerent tres Clarissimos Viros, qui legatione Prov. ad Caesarem, re publica bene gesta,

fuerant perfuncti, missilia nomismata, maxima forma, cudi jusserunt, alia ex auro, quibus legati ipsi, alia ex argento, quibus ceteri munerarentur, quotquot utilem Reipublicae restituendae operam praestiterant. Tali modo & civibus optime meritis honor debitus redditus est, & simul tum Providentiae Augusti, tum restitutionis suae est ab iis immortalitati commendata memoria. Descriptio autem pulcherrimi, & maximi nomismatis est hujusmodi. In adversa quidem fronte nihil eminet aliud, quam quercica corona, quae extremam oram ambit, mediusque in ea titulus:

ANTONIO · VICECOMITI · AIMO · MED ·
ALEX · BOTTAE · ADVRNO · TIC ·
ALEX · CAVTIO · CREMON ·
AD · LEOPOLDVM · II · AVG ·
LEGATIS

In aversa vero repraesentatur Insubria, matronali habitu, ac figura, serto redimita ad foecunditatem soli, & laetitiam temporum indicandam spicis, floribusque intertexto, dextra ternas coronas civicas, sinistra codicem tenens. Pone eam Fluvius expressus est sedens, qui siniſtro brachio cornu copiae regit, atque urnae innititur, ex qua large aquas diffundit; cujus irrigatione, quae est praecipua Provinciae nota, & segetis aristae, & herbae passim enascuntur. Atque in orbem superius inscripta haec sunt:

PROV · RESTITVTA · RESCRIPTO · OPT · PRINCIPIS

inferius tandem in ea parte, quam ἐξεργον vocant:

CONVENTVS · INSVBR · ANN · M.DCC.XCI ·

X. Per id temporis Imp. Leopoldus, qui jam per alias Austriaci Imperii Provincias pacis suae bona circumtulerat, Mediolanum, ut supra diximus, adventavit. Pendebant omnes animi, qua nam ratione statuae honorem

e 2

sibi publice oblatum acciperet. Sed nimirum cujus indulgentiam in postulatis concedendis renovaverat, sapientiam Trajani in aestimandis honoribus visus est aemulari. Veros quippe honores sapientissimi quique non illos habent, qui tempestate, vi, vetustate intereant, sed qui in benefactis, rebusque gestis positi, ipsa senectute florescunt, nullis vel hominum, vel temporum injuriis obnoxii; nec quidquam aliud, non aurum, non argentum, non aes, non saxum videtur eis melius formam optimi Principis exprimere, ac tenere, quam populorum favor, atque caritas. Itaque non abnuit ille quidem, sed neque indulsit unquam. Quo temperamento utrumque effecit, ut & publicis impensis parceret, & simul omnem a se fastidii suspicionem removeret.

XI. Spe igitur abjecta fore, ut sibi liceret magnificentissimum monumentum Augusto in celebri loco collocare, saltem vultus ejus ante oculos imaginem sibi, posterisque suis constituere Decuriones voluere in interiori Aedium publicarum conclavi, quo convenire ipsi solent. Placuit igitur, uti e politissimo marmore Carrariensi dimidiatum signum, magna forma, effingeretur, eique cum honorario titulo poneretur; in quo aliqua etiam esset grati animi erga Ferdinandum Archiducem significatio; utique capita Rescripti insigniora in duabus tabulis marmoreis, stilo veterum legum, inscriberentur. Demum Antonio Peraboo inter Patricios ob merita, quae supra commemoravimus, adlecto, uti Ambrosio Cavanago Comiti, qui moris majorum, rerumque publicarum peritissimus quum sit, Concilium Sociale mirifice adjuverat, & Antonio Vicecomiti Aimo Marchioni, qui praeterea legationem nomine tum Provinciae, tum peculiariter Patriae e Republica obiverat, gratiam aliquam publice referrent, praeter jus insignia Civitatis gentilitiis inserendi, honorem etiam Inscriptionis utrique contulerunt. Quem quidem honorem quis nescit, quanti olim aestimare Romanorum clarissimi solerent? Quae omnia ut scite succederent, eorum curatio

data est Constantio Tabernae Comiti, & Julio Dugnano Decurionibus, aurea clavi Augustali exornatis, probitate, prudentia, judicii elegantia spectatissimis. Hi autem negotium Francisco Fontanae dederunt, ut Inscriptiones conficeret; Josepho vero Franchio Carrariensi, Sculptori celeberrimo, ut hermam faceret; neque id solum, sed etiam totum ut monumentum designaret. Quod ita praestitit, ut ex signo, & basi, & ex tot marmoribus litteratis opus unum exurgeret, venustum mehercules, atque concinnum. Denique ne illud in interiori Curia paene delitesceret, sed omnium oculis exhiberetur, ejus formam in aerea tabula a Jacobo, Jacobi Nepote, Freyo ejusdem Franchii alumno, lineari pictura expressam praelo subiici, vulgarique jusserunt; cujus rei declarandae ergo tota haec est narratio instituta. Sed heu! dum haec summo studio urgebantur ab omnibus, dumque Leopoldus Aug. ordinatis jam Imperii Austr. rebus, in eo propediem esset, ut quae pro statu universae Europae consilia moliebatur, agitabatque magna, ac salutaria exequeretur, repente nuncius allatus est praepropero eum fato abreptum fuisse. Monumentum igitur, quod in vivi honorem parabatur, mortui memoriae erectum est. Quo quidem acerbissimo casu, intra spatium trimestre ob Aloisiae Augustae Conjugis ejus obitum iterato, quis humanae fragilitatis vices non sane perhorrescat? Doleremus etiam majorem in modum, nisi felicissima successio Imperatoris Francisci, Principis bono Reipublicae nati, tantum desiderium, luctumque leniisset. Faxint Superi, ut qui justae parentum Augustorum aetati detracti sunt anni, Filio adjiciantur.

CAPITA INSIGNIORA

EX RESCRIPTO LEOPOLDI AVG. EXCERPTA

QVAE IN TABVLAS MARMOREAS RELATA SVNT.

Littera A. indicat partem primam Rescripti, quae ad Commune Insubriae spectat; Littera vero B. alteram, quae ad singulas Civitates. Notae numerorum indicant ejusdem Rescripti Articulos, ad quos Lectorem, qui forte Inscriptionis verba cum verbis Rescripti conferre velit, delegamus.

I.

Decuriones, more majorum, Reipublicae Mediolanensi curandae praesunto. Sexaginta sunto. Ex Patriciorum numero adsciscuntor. Art. I. B. item XXXIII. A.

II.

Ollis conveniendi, quotiens visum fuat, ordinemque supplendi jus esto. IV. B.

III.

Privilegia Conlegii Juris Consultorum Nobilium rata sunto. XX. B. Vide etiam Rescriptum Caesareum ad ipsum Collegium V. Kal. Julias an. MDCCXCI. datum.

IV.

Ex hoc Praefectus Urbis eligitor, qui item pristino nomine, pristinis insignibus utitor. III. B. item XXXVI. A.

V.

Praefecto Urbis Adsessores adsunto. A Decurionibus creantor. I. II. B. item XIX. & XXXIII. A.

VI.

Viarum, annonae, valetudinis, pecuniaeque publicae curam agunto. Jus de his omnibus dicunto. XXXIII. A. item XXXV. A.

VII.

Legati singularum Civitatum Mediolani morantor Adsessorum nomine, ex quois, & Adsessoribus Mediolanensibus sub Praefecto Urbis Concilium Conventus Insubrium esto. I. V. VI. A.

VIII.

De stato Reipublicae ordine, his inconsultis, ne quid immutator. I. III. item XI. A.

IX.

Iidem ſuper pristina decora, & munera stativorum etiam, & commeatuum militarium curam capiunto. X. XIII. A.

X.

Item Legatum ad res Provinciae apud Caesarem gerundas biennalem eligunto. Et, si res tulerit, arbitrio revocanto. IV. A.

XI.

Provincialia emeritos stipendia Adsessores Provinciales, Municipalia Municipales judicio suo remuneranto. XVII. A.

XII.

Ad praescriptum Censualium legum Regii Census Curatores se gerunto. XV. item XIX. A.

XIII.

A Communi suus quisque Censualis eligitor. XX. A.

XIV.

Leges judiciariae, item de Vectigalibus Regiis partiundis, exigundis reformantor. XXXI. A. item XXVI., & seqq. A. tum XLVII., & seqq. B.

XV.

Multa in absentes dicta remittitor. XXIV. A.

XVI.

Sacerdotiorum, aliorumque id genus bonorum vacantium rationes eduntor in vulgus. XLV. A.

XVII.

Eorum reditus in pios usus erogantor. XLV. XLVI. XLVII. A. XXXIII. B.

XVIII.

Item tributa ex praediis olim immunibus in levamen onerum communium ceduntо. XXI. XXII. XXIII. A.

XIX.

Sacerdotiorum patronatum jure, quo quisque optimo habessit, retineto. XLIII. XLIV. A.

XX.

Domus egenis maribus feminis recipiundis, alendis, educandis, medendis, dotandis, sublevandis quotquot sint pietate majorum institutae, earum curatio penes Cives esto. XLVIII. XLIX. A.

XXI.

Scholae juris Municipalis in Lyceo Braidensi, Chirurgiae, & Artis Anatomicae in Valetudinario interclusae aperiuntor. XXIV. B.

ADNOTATIONES.

N libri fronte: *in eorum Curia*. Notum est plura quidem *Curiae* vocabulum significare, sed persaepe aedes illas, ubi sedes est publici Consilii, quemadmodum in Orat. 4. in Verrem: *in Curia Syracusis, quem locum illi* Buleuterium *vocant*. Quid est enim Buleuterium Graece, nisi latine locus, ubi Ordo Decurionum cogitur, quem Plinius in epistolis Bulen vocat?

—— *Dedicatum*. De hujus vocabuli usu in inscriptionibus haec recte docet Morcellus pag. 35. de stilo: *saepe in antiquis titulis dedicatae dicuntur porticus, bibliothecae, theatra, thermae, statuae illustrium virorum, & alia hujusmodi. Haec consecrata ne dixeris, sed potius addicta, aut aperta populo. Id certe Plutarcho est* ἀναδεικνύναι, *seu revelare, ostendere*.

In fronte Epistolae ad Decuriones: *A Provincia Restituta* perinde, ut veteres dicebant *ab Colonia deducta*, Grut. pag. 207. aut ab *Urbe Condita*, quod passim videre est, apud Historicos praesertim.

—— *Splendidissimo Ordini*. Decurionum Ordinem splendidissimum apud veteres audiisse, inscriptiones multae declarant. Grut. pag. 275. 481. 1195. &c.

In Albo Decurionum: *Magister Rusticanae Militiae*, inferius vero reperitur *Magister Urbanae Militiae*. Sic MAGISTER EQUITUM qui equitatui, MAGISTER PEDITUM qui peditatui, MAGISTER UTRIUSQUE MILITIAE qui militiae utrique praeerat, in Inscriptionibus, aliisque veteribus monumentis appellatur. Recte igitur, qui apud nos militiae Rusticanae praeest *Magister Rusticanae Militiae*, qui praeest Urbanae *Magister Urbanae Militiae* videtur nuncupari.

—— *Adsistens*. Participium hoc substantive usurpavit Fabius Quintilianus, idque semel, atque iterum: videlicet Lib. IX. Cap. II. *aut judices, aut assistentes*, & Lib. II. Cap. I. *in quibus vel judici, vel etiam assistentibus ratio nostrae moderationis probari debet*.

—— *Campidoctor*, idest *Maestro di Campo*, ut interpretatur Forcellinius in suo latinitatis Lexico, omnium longe locupletissimo, atque accuratissimo. Vocabulum hoc habetur apud Lampridium in Vita Severi, & non semel apud Vegetium, ut artis, sic nomenclaturae Militaris veterum Romanorum auctorem peritissimum. Habetur etiam in inscriptionibus tum apud Muratorium, tum apud Gruterum, cujus est illa prae ceteris perspicua pag. 80. QVOD · COH · DOCTOR · VOVERAT · NVNC · CAMPIDOCTOR · · · · COH · I · PR · POSVIT · Quare Salmasius cum aliis eruditis viris hanc vocem, quam alii *Campiductor* legunt, jure ac merito tuetur.

—— *Militiae Dux Major*, idest, ut arbitror, *General Maggiore*. Habetur haec formula *Militiae Dux* tum alibi, tum apud Murat. XCVI. I. cui addidi *Major*, quemadmodum apud Grut. pag. 360. habetur *Pontifex Major*. Fortasse alii maluissent *Militiae Dux Honorarius*. Quod & mihi arridet maxime.

—— *Cohortis Praetoriae Russatae. Della Guardia Rossa*. Hanc formulam, sane rei exprimendae aptissimam, Morcellus proposuit Lib. III. Part. I. Cap. VII. Ita russata dicebatur una e factionibus aurigarum in Circo, quia russis, seu rubeis vestibus utebatur. Unde apud Reines. cl. 5. n. 63. *agitator factionis Russatae*. Ad hanc vocem confirmandam Forcellinius memorat Inscriptiones Gruterianas tres.

—— *Praefectus Regius Tabularii Publici*. Sic *Praefectus Aerarii*, Fab. 292. Nepos vero Praefectos Regios, quamvis non eodem prorsus sensu, habet in vita Agesilai. Item Livius Lib. XXXVI. Cap. XI. & alibi.

—— *Ductor Ordinum Major*, idest, mea quidem sententia, il *Sergente Maggiore*. Ordo fere erat Militum manus minor centuria; v. gr. manipulus. Ita Forcellinius. Qui ei praeerat *Ordinis Ductor* nominabatur; is igitur perinde erat, atque qui in militia sequioris aevi audit *Sergente*: sic sane in Vocabulario, ut appellant, Taurinensi vertitur. Igitur qui plures Ordines ducit, & majori cum potestate, is Ductor

Ordinum Major appellari satis congruenter videtur. Munia illius propria a Laelio Brancaccio, equite Melitensi, in ſuo de Militaribus Officiis libro Cap. VI. ſic deſcribuntur: *sono particolari cure del Sergente Maggiore di ordinare la gente a marciare, ed a combattere, d' alloggiarla, di mettere, e ripartire le guardie, sì nelle oppugnazioni, come nelle difese, e di disciplinare i soldati.* Quae sane munia cui melius, quam Ductori Ordinum Majori congruere possint? Posset etiam id muneris Latine appellari *Praepositus*, aut *Magister Exercitatorum Militiae Urbanae*. Eſt enim Exercitator, qui alium in quaque re exercet. Unde apud Gruterum pag. 1102. habetur EXERCITATOR EQUITUM. Igitur qui Exercitatoribus praeest Praepositus, aut Magister Exercitatorum vocari jure potest. Brancaccius autem milites exercendi munus eis, qui nunc audiunt *Sergenti*, assignat; his vero praeponit *il Sergente Maggiore* his verbis: *conviene al Sergente essere spesso.... alla casa del suo Sergente Maggiore, il quale ha da essere stimato da lui come suo proprio Capo, e Maestro.* Consule Morcellum pag. 522. quatenus veteris militiae appellationes recentiori disciplinae accommodari debeant, aut possint.

—— *Tiberius Cribellus.* Fortasse *Crivellus* scribi mallent nonnulli, auctoritate Morcelli freti, cui cognominum noſtratum Latine efferendorum ea ratio placet, ut nihil immutentur praeter ultimae syllabae inflexionem, qua Latino ritu declinentur. Ab hac lege tamen idem excipit illustria nomina, quorum celebritas prohibet quominus licet aliter enuncientur, quam vernacula ſonant lingua, aut ignota, aut obſcura evadant. Vide sis Morcellum Lib. II. Part. III. Cap. I. de Nomenclatura, ubi etiam scite loquitur de iis cognominibus, quae propositione DE aucta, cujusmodi in hoc Albo ſunt *De Araciel*, *De Abdua*, ab antiqua Latinorum consuetudine abeunt longe, sic tamen, ut cognomen eorum affine non desit in exemplo satis vetere, quod ipſe affert ex Donio & Fabretto, nempe: OCTAVIO · V · P · EX · MERCVRIALIBVS ·

—— *Regionis Pallavicinae.* Alii forsitan mallent *Ditionis Pallavicinae* exemplo Guidonis Ferrarii, celeberrimi Titulorum Scriptoris, pag. *66.* Vol. II. Operum ejus nuper editorum. Verum, pace tanti viri, atque etiam Forcellinis, ego Morcello potius assentior, qui in Commentariis ad Inscriptiones suas pag. 14. negat locum, regionemve, ubi quis jus, aut imperium exercet, a veteribus Latinis *Ditionem* appellari. Sane in exemplis omnibus, quae ab ipsomet Forcellinio afferuntur, hoc vocabulum nihil aliud, quam poteſtatem, vel imperium, quod quis exercet, videtur ſignificare.

In Epistola: *si quidem monumenti ratio.* Cic. in fragm. apud Nonium Cap. I.

—— *Ut Plinii verbis utar.* In proem. lib. 35. Hist. Nat.

—— *Venusta scriptura inscriptionum, atque diligens.* Haec licet parvi momenti res videri aliquibus possit, quam tamen valde conferat ad inscriptionis cultum, atque ornatum, vide sis Cap. IX. Part. III. Lib. II. Morcelli de stilo Inſcriptionum latinarum.

—— *Neque difficultatis.... hujusmodi artificii.* Hac de re velim, lector humanissime, consulas Προλεγόμενα Libri II. ejusdem Morcelli. Satis mihi esto justissimam ejus querelam repetere, quam ſcilicet, si minus obtrectatorum alienarum Inscriptionum (obtrectatores dico, non Censores aequos, atque intelligentes) licentiae, aut laſciviae potius ſanandae; at certe earundem Scriptoribus conſolandis accommodatissimam fore arbitror, quoties eas, ut ut omni induſtria, ad veterum normam, ab se elaboratas, carpi tamen temere, aut etiam vituperari voculis malevolorum, aut garrulorum hominum senserint. Quippe si tanto viro, quem hujusce artis magistrum, ac poene parentem jam omnes agnoſcunt, obtrectatores minime defuere, acres atque importuni, quis nam ita blandiri sibi met potest, ut putet defuturos unquam sibi? Sunt autem ejus verba hujusmodi: „ denique
„ hoc quoque in iſto litterarum genere molestissimum invenitur, ut vel imperiti de
„ Inſcriptione judicent, ac temere plane, & nulla ratione, nullo auctore judicent.
„ Quippe, quod latine aliquid sciant, satis quidem se intelligere posse arbitrantur,
„ inſcriptio ne rei quadret, an non. Eo fit, ut de stilo etiam judicare velint, quem
„ plerumque ignorant, & ea fere damnent, quae non intelligunt. Enim vero vix ferri
„ potest, quum tu inscriptionem eandem ſaepe finxeris, ac refinxeris, singulas partes
„ ad priscas leges exegeris, nihil propemodum usurpaveris, quod non veteri auctoritate
„ nitatur: esse tamen homines tanta impudentia, qui quod vix oculis semel perlegerunt, non modo ſibi non placere, sed etiam ineptum esse aut obscurum, aut parum
„ latinum, tamquam de sella ac tribunali pronuncient “.

In Commentario. Num. I. *Imperatoris Nervae*. Extat hujus Rescriptum inter Plinii epistolas Lib. X.

—— *Ut olim Nerva*: quippe in Rescripto superius allato ita de se ait: *quem fortuna imperii vultu meliore respexit*.

II. *Inter cives*. Vide Plinium in Paneg.

—— *Quoddam veluti signum*. Cicero pro Marcello I.

III. *A Platone praeclare dictum*. Vide etiam Cic. de Officiis. Lib. I.

VI. *A Tullio dictum*. Phil. V. XVII.

VII. *Concilium Conventus Insubr.* Desumpta est haec formula ex Decreto, quod in tabula aenea repertum anno MDCCLXXVI. protulit, explicavitque difertissime, atque eruditissime Morcellus Lib. I. Part. I. Cap. V. de stilo, ubi CONCILIVM CONVENTVS CLVNIENS. memoratur.

IX. *Spiritui Deo Sancto Aeterno*. Memini inscriptionem hanc, cum primum edita fuit, in varias hominum reprehenfiones incidere; in primisque formulam illam *Spiritui Deo Sancto Aeterno*, & aliam *proque Statu* minus aliquibus probari; quamvis utraque reperiatur in lauta illa, lectiffimaque fupellectile, quam Morcellus Libro III. qua est singulari eruditione, & judicio longe exquisitissimo, ex probatissimis monumentis deprompsit, & titulorum scriptoribus liberaliter apparavit. Nae ego adhuc miror, quid sit, cur illae formulae cuiquam displicere possent. Nam prior, ut nihil superstitionem antiquam Romanorum, sic elegantiam stili maxime redolet: quippe hausta est ex formulis DEO SANCTO, DIIS SANCTIS, quae frequentissime occurrunt; item ex illis DEO AETERNO Grut. pag. 17. DEO MAGNO AETERNO Fabr. pag. 564., quam ultimam, suffragante Maffejo, idem Fabrettus Christianam judicavit. Alteram vero *proque ſtatu* qui reprehenderunt, notaruntque censoria nota, iis puto ignotam fuisse inscriptionem, haud infimae mehercules notae, quae apud Grut. pag. 29. ita se habet: PRO SALVTE · IMP · ANTONINI · GORDIANI · PII · FEL · AVG . TOTIVSQVE · DOMVS · DIVINAE · PROQVE · STATV . CIVITATIS. Quid, quod hac formula utitur Cicero saepissime?

—— *Corona quercica*, idest civica, quae more veterum Romanorum eis dabatur solum, qui in praelio civem, interempto hoste, servassent. Sed labefactata Republica, nonnulli donati ea sunt etiam in toga ob cives quocumque modo conservatos, aut beneficiis auctos.

X. *Pacis suae bona circumtulerat*. Vellejus Pater. Lib. II.

—— *Sapientiam Trajani*. Vide Plin. in Paneg.

XI. *Quem quidem honorem*. Adi Morcellum *de stilo* pag. 279.

Haec sunt fere, quae adnotanda erant mihi, ut si quid usu aut novum, aut minus aptum in hoc opusculo aut est visum, aut videri cuiquam possit, ab omni nota, quoad poteram, vindicarem. Sed ausim ne idcirco sperare culpam me vitasse omnem, aut nihil superesse amplius, quod cenforia virgula notari possit? Esset id hominis arrogantis, sibique nimium praefidentis. Quid igitur? Si vera obiici mihi sensero, grato libentique animo amplectar, & lucri loco ponam; sin falsa, aut futilia, animo aequo, pacatoque, tacitus negligam, atque contemnam. Nihil autem adnotare visum est in Monumenti Marmorei, cujus hic *sciographia* exhibetur, infcriptiones; ut pote quae homines hujusmodi, tanta doctrina, tanta judicii elegantia, tanta in hoc genere litterarum auctoritate, alii coram, alii per litteras, ut diximus, probaverunt, uti eorum plane judicio nihil haefitans acquiefcam.

